



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. III. De Dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

milibus; tutius quidem est in ordine ad Sacramentum non frustrandum adhibere contritionem, sed non est tutius in genere doctrinæ docere, homines obligatos esse ad illam præmittendam Sacramento pœnitentiæ. Eodem modo discurre potest, dum quaeritur, An posita damnatione illius propositionis, teneamur de singulis peccatis explicitè dolere, ut sentit Vivaldus? An teneamur habere propositum formale? An teneamur immediate ante absolutionem elicere dolorem, ut habeatur major propinquitas moralis inter partes essentielles Sacramenti? An dolor procedere debeat ex intentione confessionis? An teneamur attritioni addere aliquem amorem Dei? Quod paucis abhinc annis adeo pugnaciter controversum fuit, ut Alex. VII. Bullam hac de re expedit die 5. Maji 1667., in qua præcipit, ne quis de hoc puncto agens contrariam, sententiam censurare audeat: Quæ, & his similia procul dubio tutiora sunt in executione, non vero in genere doctrinæ, ut explicavimus. Quinam autem sit amor Dei initialis, qui in Attritione supernaturali includitur, fusc ostendimus in expositione thes. 15. confixæ ab Alex. VII., ubi ostendimus, sine illo amore Dei formali Attritionem esse honestam, & supernaturalem.

Ex hac etiam doctrina infertur, licite posse Sacerdotem cum jurisdictione solum probabili absolvere; atque adeo simplicem Sacerdotem in articulo mortis, etiam præsentem Parocho, absolvere posse ab omnibus peccatis, & censuris moribundum; quia hæc opinio est tuta, imo tutior in genere doctrinæ, quamvis opposita sententia sit tutior in executione, ut explicavimus in Trutina exponendo eam thes. Innoc. autem XI. damnans propositionem asserentem, quod possimus sequi in conferendis Sacramentis opi-

nionem probabilem, ommissa tutiore, non damnat, quod possimus sequi opinionem tutiorem in genere doctrinæ, seu moraliter certam; ommissa tutiore in executione, ut accidit in his, & similibus casibus.

X. Quæritur ultimo, Quomodo attritio fieri possit contritio.

Respondeo, non formaliter, sed æquivalenter; non enim unus actus potest evadere alius, sed potest attritio æquivalere contritioni, si componatur cum Sacramento; & in hoc sensu communiter dici solet, quod peccator in Sacramento ex attrito fiat contritus; quia in Sacramento attritio æquivalet contritioni, cum disponat ultimo ad gratiam, non secus ac contritio extra Sacramentum. Præterea potest etiam attritio æquivalere contritioni, si componatur cum actu amoris Dei super omnia; Nam qui habet attritionem cum actu amoris Dei super omnia, eodem modo est dispositus ad gratiam, ac qui habet contritionem. Hinc sequitur, quod in iis casibus, in quibus vel per se, vel per accidens obligatur peccator ad contritionem, satisfaciatur suæ obligationi, si loco contritionis ponat vel attritionem cum Sacramento pœnitentiæ, vel attritionem cum actu amoris Dei super omnia.

### ARTICULUS III.

#### De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito.

- I. *Non sufficit in Sacramento dolor virtualis inclusus aut in amore Dei, aut in proposito non peccandi de cætero.*
- II. *Nec sufficit in Confessione venialium mera non complacentia de illis cum animo suscipiendi Sacramentum.*
- III. *Non est tamen mortale non dolere de singulis venialibus, qua sub-*

*cinuntur clavibus.*

- IV. Num dolor debeat aut confessionem, aut saltem absolutionem praerire?
- V. Num dolor elici debeat ex intentione suscipiendi Sacramentum?
- VI. Quamdiu possit dolor confessionem praerire?
- VII. Qualiter dolor de venialibus revocetur?
- VIII. Num possit sine novo dolore absolutio iterari?
- IX. Nequit Superior, auditis solis reservatis, Sacramentaliter absolvere.
- X. Probabilius videtur, quod dari possit Penitentia Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris illimitati.
- XI. Non tamen ex variis aliis capitibus olim admissis ab Auctoribus.
- XII. Ex quibus omnibus plura inferuntur.

I. **D**iximus, ad Sacramentum Penitentiae non sufficere actum amoris Dei, in quo dolor virtualiter includitur; eo quod dum a Trident. requiritur ad Sacramentum dolor, intelligendum est de dolore proprie dicto, seu de dolore formali, juxta communissimum Theologorum sensum, sive iste dolor sit contritio, sive attritio. Non me latet, Petrum Soto, Sylvestrum, Gabrielem, Rosellam, & alios ante Trident. existimasse, sufficere dolorem virtuales: Vsq. tamen appellat hanc sententiam post Trident. erroneam, & Suar. temerariam. Unde sequitur, nec sufficere dolorem, quod non doleas, contra Navar., Sylvestr., & Sa, quia Concilium exigit dolorem de peccato, non vero dolorem de negatione doloris; Nec sufficit solum propositum non peccandi de cetero; quia tale propositum non solum non est dolor, sed etiam stare potest cum complacentia actuali de

peccato commisso.

II. Quæritur tamen primo, An in confessione venialium satis sit pro dolore voluntas suscipiendi hoc Sacramentum sine actuali complacentia peccati; eo quod in tali voluntate virtualis quædam detestatio contineatur?

Respondeo, Sententiam affirmantem non displicere Præposito, Rosellæ, & Tambur., qui asserit Patrem Franciscum Quiros Societatis Jesu in Theologia morali apprimè versatum eam reputare veram; quia scilicet Trident. sess. 14. cap. 4. requirit ad valorem hujus Sacramenti motum proprium penitentis, (qui certe habetur in eo, qui voluntatem habet suscipiendi hoc Sacramentum, ejusque effectum) & in confessione solum mortalium requirit Trident. detestationem. Unde solum in confessione mortalium videtur, quod dolor debeat esse formalis, & non tantum virtualis.

Verum communis sententia docet, requiri dolorem formalem, etiam in confessione venialium; & practice sententiam hanc tutiorem tenemur sequi, quia tenemur evitare periculum frustrandi Sacramentum; & quidem sub mortali, etiam si Sacramentum conferratur super re levi, videlicet ad remissionem solorum venialium: Quicquid in contrarium senserit quidam Recentior apud Lug. de Pœnit. disp. 14. sect. 8.

III. Quæritur secundo, an sit mortale non habere dolorem de omnibus venialibus; quæ in confessione explicantur?

Respondeo cum Suar., Lug., & aliis communiter negative; quia defectus talis doloris non obstat valori, & fructui Sacramenti. Ex quo sequitur, quod quando confessio est de solorum venialibus, non teneamur ponere dolorem universalem.

Dices primo; apponere pro materia Sacramenti materiam ineptam, est pec-

peccatum mortale; ut si quis apponeret ad consecrandum cum hostiis triticeis aliquas hordeaceas; ergo peccat etiam mortaliter, qui confitetur aliqua venialia sine dolore, etiamsi de aliis dolorem habeat; quandoquidem ex defectu doloris illa venialia non sunt materia idonea Sacramenti.

Respondeo cum Suar. nego consequentiam: Et disparitas est, quia forma consecrationis per se primo respicit materiam; Unde sub mortali debet apponi solum materia idonea ad consecrationem: Contra vero forma hæc absolutionis, Absolvo te, non respicit per se primo materiam, sed personam, & effectum gratiæ ex se remissivæ peccati; & quia semper absolvitur persona; confertur gratia, sive habeat illa dolorem de omnibus, sive de aliquibus solum venialibus; idcirco non est mortale non habere dolorem universalem de omnibus venialibus. Eodem modo discurrendum in Sacramento Baptismi, quod non respicit materiam, sed personam. Non enim est mortale miscere aquæ naturali guttas aliquas aquæ rosacæ in collatione baptismi; quia significatio formæ, & ejus effectus habetur, etiamsi materia non sit usquequaque idonea ad Baptismum.

Dices secundo; apponere in confessione peccatum mortale falsum, est mortale; ergo etiam est mortale apponere veniale sine dolore; cum utrobique materia non idonea apponatur.

Respondeo, concedo antecedens, contra Sylvestrum, qui putat esse tantum veniale, V. *Confessio*, quæst. 8., nego tamen consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu decipitur Juxta in re gravi; secus vero in secundo casu decipitur tantum in re levi, dum putat, pœnitentem dolere de omnibus venialibus, quæ confitetur, & revera de aliquibus tantum dolet,

Dicimus proinde contra Sylvestrum, non posse pœnitentem pro libito augere numerum suorum peccatorum, non quia peccaret mortaliter contra charitatem imponendo sibi crimina, quæ non fecit; nam non inferret sibi grave nocumentum, cum infamatio in confessione censetur levis; sed quia non posset Sacerdos exercere circa pœnitentem judicium prudens; Tam enim variatur notabiliter judicium ex occultatione criminis veri, quam ex confessione criminis falsi.

IV. Quaritur tertio; An dolor debeat Confessionem, aut saltem absolutionem præire?

Respondeo, certum esse, dolorem post absolutionem elicitum non sufficere ad Sacramentum. Dubium est, an debeat confessionem antecedere? Quod si non debeat; Num satis sit si ponatur in eo ipso instanti, in quo completur absolutio, an vero requiratur, ut absolutionem saltem antecedit?

Circa primum, Coninck disp. 4. dub. 2. putat, dolorem debere Confessionem præire: Tum quia confessio debet esse signum illius doloris; ergo debet dolorem præsupponere; tum etiam quia cæteroqui posset quis per modum historiæ narrare Sacerdoti sua peccata, deinde dolere, & absolvi.

Sed communis sententia negat, debere dolorem præire confessionem; quod probatur ex praxi fidelium, qui communiter post confessionem ad dolorem a Sacerdote excitantur, & putant suæ obligationi satisfecisse, etiamsi sufficientem dolorem ex inadvertentia non præmiserint.

Ad rationes in contrarium Coninck respondetur, dolorem etiam consequentem posse fieri sensibilem per confessionem; quia, ut bene notat de Lugo, ut confessio sit signum doloris, non oportet, ut sit doloris effectus; sed satis est, ut fiat confessio ad ob-

ti-

tinendam remissionem, ad hoc ut confessio sit signum doloris interni, etiam si hic consequatur confessionem: Hoc enim ipso quod confessio est facta ad hunc finem, satis significat, poenitentem velle ponere omnia requisita ad talem finem, inter quae est dolor: Quare qui confitetur peccata, ut recipiat illorum remissionem, sensibilibiter declarat, quod vel iam habeat dolorem, vel mox sit illum habiturus ante absolutionem, sicut oportet.

Quibus adde, non solum confessionem esse signum sensibile doloris interni, cum ipsamet expectatio absolutionis, & tacita ejus postulatio videatur satis significare sensibilibiter dolorem internum, non solum ut ponendum, sed ut iam positum.

Ad secundam objectionem respondeo, verum quidem esse, quod narratio historica peccatorum, ad quam sequatur dolor, non satis fit ad Sacramentum; Et ratio est, quia ad Sacramentum requiritur narratio, quae sit accusatio, seu ordinata ad obtinendam absolutionem in iudicio Sacramentali, quae certe haberi potest, etiam si dolor post illam consequatur. Ubi advertit, quod qui historice narravit sua peccata Sacerdoti, potest narrationem illam ordinare ad Sacramentum, non quidem solo actu interno, cum confessio debeat esse per se sensibilis, sed actu externo, dicendo verbi gratia, De peccatis narratis me accuso; & sic potest absolvi; quia sic breviter se accusavit de omnibus peccatis narratis, & posuit sufficientem Confessionem externam.

V. Dubitatur tamen hic, An sicut confessio debet esse ordinata ad Sacramentum recipiendum, ita pariter dolor elici debeat ex intentione Sacramenti?

Respondeo cum communi contra Perez disp. 19. sect. 6., Reginaldum

tom. 1. lib. 5., & Bonacin. negative. Ratio est, quia ideo confessio debet esse ordinata ad Sacramentum recipiendum, quia debet esse accusatio; nec est accusatio, nisi ordinetur ad absolutionem in iudicio Sacramentali: Contra vero nulla est ratio, quae suadeat, dolorem debere elici ex intentione Confessionis. Quod etiam constat ex praxi fidelium: nam si quis, verbi gratia, audiendo concionem excitetur ad dolorem, & deinde ex eo dolore moveatur ad Confessionem, hic reputatur bene dispositus, etiam si desiderium Confessionis oriatur a dolore, & non dolor a desiderio, & intentione Confessionis.

Non negaverim tamen, dolorem, ut fiat aliquo modo sacramentalis, debere dirigi ad confessionem, cum ad conficiendum Sacramentum necessaria sit intentio Sacramenti, & partium illius in ordine ad ejus constitutionem; Dico tamen, non debere dolorem a principio ad confessionem dirigi, & ex desiderio confessionis oriri, cum satis sit, si dolor praeteritus ad Confessionem dirigatur.

Neque dicas, actiones Sacramentales debere fieri a principio ex intentione Sacramenti; Unde ablutio, verbi gratia, quae non fit a principio ordinata ad Sacramentum, non potest deinde referri ad illud, & conjungi cum forma Baptismi; ergo cum dolor sit pars Sacramenti, debet a principio referri ad illud, & fieri ex intentione Sacramenti.

Nam contra est, quia illae dumtaxat actiones Sacramentales debent a principio referri ad Sacramentum, & fieri ex intentione illius, quae pertinent ad formam Sacramenti, seu quae fiunt a Ministro; Hic enim cum debeat operari in nomine Christi, debet operari ex fine intento a Christo Domino; Poenitens autem in hoc Sacramento non est minister, licet po-

nat

nat dolorem constitutivum illius, tamquam partem materialem; & ideo non debet ejus dolor elici, tamquam ab operante nomine Christi, & intendente facere Sacramentum; Quod idem dicitur de eo, qui conficit panem, qui est materia Eucharistiæ.

Circa secundam difficultatem, An scilicet dolor præire saltem debeat absolutionem? Communis Doctorum sententia affirmat; mihi tamen arridet sententia Meratii, Granado, Perez, aliorumque, qui censent, satis esse, ut dolor non sit post absolutionem, etiamsi ponatur in eo ultimo instanti, in quo perficitur absolutio. Et ratio est, tum quia vere tunc absolutio cadit supra peccata cum dolore exposita, tum etiam, quia voluntas suscipiendi Sacramentum reddit narrationem illam peccatorum, quod vere sit confessio, & accusatio sui dolorosa per dolorem, qui vel jam sit habitus ante confessionem, vel mox sit habendus, ita ut non consequatur absolutionem.

Neque dicas primo; Ante absolutionem, quæ est sententia judicialis, debet præire non solum confessio Rei, sed etiam notitia de dignitate, vel indignitate rei ad obtinendam remissionem; sed Reus tunc est dignus absolutionem recipere, quando dolet de peccatis confessis; ergo si ante sententiam judicialem præcedere debet notitia de confessione dolorosa, quæ reddit reum dignum remissione, consequenter ante absolutionem debet poni dolor.

Nam respondeo, concedendo, quod ante absolutionem præcedere debeat notitia de dignitate Rei ad obtinendam remissionem; Dico tamen, hanc notitiam haberi, si sciatur, quod pœnitens confiteatur peccata, & velit Sacramentum recipere; Si enim vult Sacramentum recipere, vult ponere dolorem, qui non sit post absolutio-

nem, & consequenter etiamsi dolor non præcedat absolutionem, nihilominus ante absolutionem habetur sufficiens notitia de dignitate, seu congruitate pœnitentis ad absolutionem recipiendam.

Neque dicas secundo, dolorem esse dispositionem ad gratiam, quæ in ultimo instanti absolutionis producitur; Universim autem dispositio præcedere debet formam; ergo & dolor absolutionem.

Nam ultima dispositio non debet præcedere tempore, sed solum natura ipsam formam; sicut de facto contritio non præcedit tempore gratiam, ad quam disponit.

VI. Quæritur quarto, quanto tempore possit dolor confessionem præire?

Respondeo, Leandr. citatum a Tambur. docere cum Hurt., & Candido, quod ad Sacramentum conficiendum satis sit dolor, qui per quodcumque longi temporis spatium Confessionem præcedat, dummodo non sit retractatus vel per actum contrarium, scilicet per complacentiam de peccato præterito, vel per quodcumque aliud peccatum mortale.

Communiter tamen Theologi docent, tamdiu dolorem posse præire confessionem, quamdiu possit virtualiter usque ad confessionem permanere, ita ut cum illa faciat unum moraliter; Dicitur autem virtualiter dolor perseverare, quando si pœnitens interrogetur, cur doluerit, possit illico respondere, se doluisse, ut confiteatur, & non retractasse dolorem, quia vult confiteri; Sic pariter intentio conficiendi Sacramentum dicitur permanere virtualiter in Ministro, quando interrogatus sine nova deliberatione statim responderet, se propterea ritum illum externum adhibere, quia vult Sacramentum ministrare. In quo distinguitur voluntas, seu intentio vir-  
tua-

tualis ab habituali; Nam virtualis (quæ saltem requiritur ad suscipiendum Sacramentum pœnitentiæ, & ad conferenda omnia Sacramenta) debet influere in Sacramentum; ita ut verum sit, quod ex illa intentione consequatur Sacramenti pœnitentiæ susceptio, vel collatio cuiuscumque Sacramenti: Contra vero voluntas habitualis (quæ satis est ad suscipiendum Sacramentum Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, &c.) non debet influere in susceptionem illorum, sed satis est, quod suscipiens aliquando eam habuerit, nec retractaverit.

Sed quoad praxim difficultas est; Quantum sit illud tempus, in quo dici possit, dolorem virtualiter perseverare, & facere unum moraliter cum confessione?

Respondet Tamburinus ex Præposito, quod per tres, vel quatuor horas; ex Lugo, quod si vesperi, imo etiam die præcedente quis doluerit, censeatur bene dispositus ad Sacramentum suscipiendum die sequenti: Et addit, quod sicut in iudicio forensi potest sententia proferri supra Reum discussum, etiam post quatuor, & quinque dies, quidni etiam in iudicio Sacramentali? Hoc tamen non admiserim, quia non quæcumque permittuntur in iudicio forensi, permittuntur in Sacramentali, nec quæ sufficiunt ad absolvendum a censuris, (a quibus etiam invitus absolvi potest) sufficiunt ad absolutionem Sacramentalem.

VII. Quæritur quinto, quomodo revocetur dolor venialium?

Respondeo, difficultatem in eo esse, utrum quando pœnitens confitetur mortalia simul, & venialia, & omnia detestatur ex motivo universali offensæ Divinæ, & deinde post hunc dolorem ante absolutionem committit aliquod veniale, Utrum, inquam, re-

tractet dolorem illum, ita ut si ad confessionem sine novo dolore accedat, indispositus accedat? Et ratio difficultatis est, quia communiter docent Doctores, quod qui post detestationem mortalium committit aliud peccatum mortale, revocat exercite priorem dolorem; ergo qui committit novum veniale, videtur etiam revocare dolorem illum, quo pœnitens detestatus fuit omnia peccata, tam mortalia, quam venialia, ex motivo universali offensæ Dei.

Equidem censeo cum Lugo, Perez, Tambur., & aliis per novum veniale non revocari adæquate dolorem illum universalem; Unde qui commisit novum veniale post illum dolorem, potest sine novo dolore valide absolvi. Ratio desumitur tum ex communi praxi Confessariorum, & pœnitentium, quæ est optima legum interpretis; nam sine scrupulo censeatur communiter dispositus ad Sacramentum, qui post dolorem ante confessionem in aliquem actum impatientiæ, verbi gratia, vel vanæ gloriæ incidit: tum etiam, quia quamvis detestatio sit universalis, non tamen terminatur ad omnia peccata æqualiter, sed inæqualiter, ita ut magis graviora, & mortalia peccata detestetur, quam venialia; unde quamvis detestatio peccatorum fuerit unus actus indivisibilis, non tamen indivisibiliter, & adæquate revocatur; sed per novum veniale commissum revocatur exercite dolor ille, solum in quantum dolor est venialium similium, non vero in quantum est dolor vel venialium graviorum, vel mortalium. Nihilominus sanum consilium est, ad meliorem securitatem, & facilitatem, quod pœnitens seorsim doleat de mortalibus, qui dolor procul dubio per commissionem venialium non revocatur.

VIII. Quæritur sexto; An requiratur novus dolor in nova confessione peccata-

peccatorum, siue ea sint jam exposita, & absoluta, sed iterum subjiçiantur clavibus; siue ea fuerint in priori confessione oblita?

Respondeo, diversimode discurrendum de peccatis oblitis, quæ immediate post absolutionem occurrunt memoriæ, & revelantur, ac de peccatis alias confessis, & absolutis. Nam peccata oblita, quæ immediate post absolutionem revelantur, non indigent novo dolore, ut iterum absolutio super iis conferatur, ut praxis fidelium ostendit. Etenim ille prior dolor videtur ad peccata etiam oblita se extendere, & facere unum moraliter. Ita communiter Doctores cum Lug., Henr., Perez, Maratio.

Neque obstat primo, quod eadem materia proxima, videlicet idem dolor, pluribus formis Sacramentalibus substerneretur; quod non videtur licere. Nam nullum est inconueniens, quod eadem materia proxima partialis plura Sacramenta numero distincta constituat; sic in Eucharistia Corpus Christi Domini, quod est materia proxima partialis illius Sacramenti, ingreditur quodlibet Sacramentum Eucharistiæ; Et eadem satisfactio potest ad plura Sacramenta pœnitentiæ numero distincta pertinere; cum possit eadem numero pœnitentia imponi in diversis confessionibus, juxta communem sententiam.

Neque dicas secundo; Non potest eadem Confessio substerni duplici absolutioni; ergo nec idem dolor.

Nam disparitatem dat de Lugo; quia hoc Sacramentum institutum est ad modum iudicii. Iudicium autem continet essentialiter accusationem, reificationem, & sententiam, quæ omnia debent esse nova, ut novum iudicium constitutur, cum non possit supra eundem processum proferri secunda sententia post primam validam, & perfectam: Contra vero si-

Pars VI.

ne novo dolore potest haberi adæquate nova forma judicialis; quia in hoc Sacramento dolor non requiritur ad formam judicialem externam, sicut requiritur confessio: ergo quamvis sine nova confessione non possit iterum proferri sententia absolutoria, potest tamen proferri sine novo dolore; dummodo prior moraliter perseveret; si enim post multum temporis confitearis peccata oblita, puro debere dolorem iterari, ut mox dicemus.

Si loquamur itaque de peccatis jam confessis, & absolutis, sicut etiam de peccatis oblitis, quæ multo post primam confessionem subjiçiantur clavibus, verbi gratia, post decem, vel quindecim horas, quibus elapsis, non censetur amplius prior dolor moraliter perseverare, juxta sententiam Joannis Præpositi; Dico cum communi Doctorum requiri novum dolorem. Et ratio est eadem praxis fidelium, qui non audent iterum ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, nisi repetito novo dolore.

IX. Neque dicas, in casu, quo superior non potest integram confessionem subditi audire, sed auditis tantum reservatis illum absolvit, & ad alium Sacerdotem remittit, ut reliqua peccata confiteatur, datur duplex absolutio Sacramentalis, ut cum multis docet Henr. lib. 6. cap. 15.; non tamen requiritur novus dolor; ergo univèrsim potest idem dolor plura Sacramenta constituere.

Nam nego cum Perez, in tali casu non requiri duplicem dolorem. Adde, quæ fassus dixi in expositione quinquagesimæ nonæ thesisi ab Innoc. XI. proscriptæ in casu adducto, si non detur necessitas dimidiandi confessionem, non posse superiorem sacramentaliter absolvere a solis reservatis. Et quando superior nequit integram confessionem excipere, tunc debet tolle-

H

re



re reservationem, & remittere poenitentem inferiori confessorio, a quo sacramentaliter ab omnibus peccatis absolvatur. Et sane omnes Doctores apud eundem Henr. docent, poenitentem absolutum a Superiore a solis reservatis debere integre confiteri inferiori, exponendo tam reservata absoluta, quam non reservata. Quare signum evidens est, quod a Superiore non fuerit sacramentaliter absolutus a reservatis; sed quod solum reservationem abstulerit: Aliter non deberet iterum exponere inferiori reservata, ut iterum absolvatur; Sicut qui absolutus est directe a peccato, verbi gratia, furti, & indirecte ab alio peccato oblito, puta blasphemia, quando recordatur hujus peccati, satis est, quod illud dumtaxat confiteatur, ut ab eo directe absolvatur, quin debeat iterum exponere peccatum furti, a quo fuerat non directe absolutus. Sed hac de re fusius iterum agendum quaest. 5. art. 7. quaest. 2. Rogabis, Num opiniones istae circa dolorem requisitum in Sacramento Poenitentiae sint solum speculative loquendo probabiles post primam Thesim proscriptam ab Innoc. XI. an sint etiam practice probabiles?

Respondeo tam opiniones haecenus expositas circa dolorem, quam quas exponemus articulo sequenti circa propositum in sacramento Poenitentiae requisitum, esse practice probabiles, quoties in praxim communiter a fidelibus timoratis deducuntur; non secus ac est opinio de sufficientia Attritionis in hoc sacramento; & ratio est non solum quia thesis proscripta fert non esse licitum in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilem, ommissa tutiori; dolor autem, & propositum non spectat ad collationem, sed ad susceptionem Sacramenti poenitentiae; sed etiam quia, quamvis nec esset licitum in Sacramentis susci-

piendis sequi opinionem probabilem de eorum valore, ommissa tutiore, ut communius docent; licitum tamen est sequi opinionem moraliter certam; sicut est opinio de sufficientia Attritionis; necnon opiniones circa dolorem, & propositum, quae passim in praxim a fidelibus deducuntur. Aliter passim in angustias animus redigeretur, & confessio redderetur odiosa, nec deserviret in medicinam, sed in carnificinam.

X. Quaeritur ultimo; An possit dari Sacramentum Poenitentiae validum, & informe ex defectu doloris?

Respondeo, probabilem esse utramque sententiam oppositam, quas graves Theologi tuentur.

Et primo quidem probabilis est sententia affirmativa Suarii, & multorum Recentiorum contra Vasq., Me-  
din., aliosque. Et ratio est, quia si quis habens duo peccata, verbi gratia furti, & homicidii, & memor solius furti eliciat dolorem de illo ex motivo proprio turpitudinis furti, non tamen ex motivo universali, & furtum confiteatur, recipiatque absolutionem; certe in tali casu ponuntur omnia constitutiva Sacramenti. Unde Sacramentum est validum; non tamen est formatum, sed informe, hoc est sine forma gratiae Sacramentalis quippe quae non potest in tali casu conferri poenitenti habenti aliud peccatum mortale homicidii, de quo nullatenus doluit; cum non possit in praesenti ordine remitti peccatum non retractatum, nec unum mortale sine alio; Quare sicuti Baptismus est validus, & informis, quando cum fictione, seu cum mortali recipitur; ita in casu adducto Sacramentum Poenitentiae est validum, & informe ex defectu doloris cadentis supra utrumque peccatum commissum.

Neque dicas primo, Trident. requirere ad validitatem Sacramenti do-

lorem universalem de omnibus peccatis; cum requirat dolorem ex motivo universali turpitudinis peccati, aut ex metu gehennæ, quæ motiva cum sint universalia, pariunt dolorem de omnibus peccatis; sed in casu dicto non habetur dolor universalis de omnibus peccatis; ergo non habetur Sacramentum validum.

Nam communiter existimatur valida confessio cum dolore peccati, puta furti, orta ex consideratione turpitudinis propriæ furti, secundum quod furtum est, non vero secundum quod est peccatum; & gratis assumitur, quod Trident. exigit dolorem universalem, seu ortum ex motivo universali turpitudinis peccati, in quantum est peccatum.

Neque dicas secundo, ad validitatem Sacramenti requiritur propositum non peccandi de cætero, quod sit universale, requiritur enim propositum non committendi non solum peccata commissa, sed nec ullum aliud amplius; ergo pariter ad valorem Sacramenti requiritur dolor universalis, qui scilicet non solum sit dolor de peccatis, quæ sunt in memoria, sed etiam de oblitis. Unde qui solum dolet de furto, cuius meminit, & non de homicidio, cuius est oblitus, non solum non conficit Sacramentum formatum, sed nec etiam validum.

Nam Dicastil., aliique negant antecedens; putant enim, satis esse propositum non committendi iterum peccata commissa. Verum quia communis opinio requirit propositum universale non peccandi de cætero, ut loquitur Trident. sess. 14. cap. 4., seu propositum non committendi amplius ullum peccatum, ideo concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia juxta omnes propositum debet magis late patere, quam dolor; Etenim dolor ad summum debet esse omnium peccatorum com-

missorum, non vero peccatorum etiam possibilium, ut constat ex Trident. docente, dolorem debere esse de peccato commisso: Contra vero Propositum non solum debet esse non committendi iterum peccata commissa, sed etiam non committendi amplius ullum mortale possibile; ergo sicut potest dolor magis restringi, quam propositum, adeo ut dolor solum cadat supra peccata commissa; ita poterit magis restringi, adeo ut cadat solum supra peccata, quæ sunt in memoria, non vero supra oblita. Trident. enim cap. 5. dicit: *Nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut post examen ea peccata constentur, quibus se Dominum mortaliter offendisse meminerint.* Si ergo ea peccata, quæ sunt in memoria, solum debemus confiteri, pariter de iis solum debemus dolere ad validitatem Sacramenti. Et sane videtur certum, quod si quis habens solum peccatum furti, & de eo tantum doleat ob motivum particulare turpitudinis propriæ furti, hic Sacramentum, & ejus fructum recipiat. ergo si præter peccatum furti habeat etiam homicidium, cuius tamen sit invincibiliter oblitus, unde de eo non doleat, recipiet quidem Sacramentum, sed non ejus fructum; unde habebitur Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris de homicidio.

Deinde probabilis etiam videtur sententia negativa opposita, quam sequuntur Vasq., Con., Gabriel, & alii negantes, dari posse hoc Sacramentum validum, & informe. Ratio est, quia ex Trident. sess. 14. cap. 4. habemus, dolorem requisitum ad hoc Sacramentum non solum esse cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud Ezech. *Projicite a vobis omnes iniquita-*

res vestras, in quibus pravaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum. Cum ergo Trident. requirat ad validitatem Sacramenti odium veteris vitæ, videtur requirere dolorem, qui sit ex motivo universali, & complectatur tum peccata, quæ sunt in memoria, tum etiam oblita. Unde si quis doleat ex motivo particulari turpitudinis furti, etiamsi solum furtum commiserit, vel dicendum, quod non recipiat Sacramentum, ob defectum doloris ex motivo universali turpitudinis peccati, qui videtur a Trident. requiri ad valorem Sacramenti; vel si hoc videatur durum, & contra communem sententiam, dici potest, quod recipiat Sacramentum, & gratiam, quando habet solum peccatum furti, quia tunc dolendo de solo furto, vere dolet de omnibus peccatis commissis, eo quod solum furtum commiserit; quando vero, præter peccatum furti, habet etiam homicidium, tunc, si doleat de solo furto, non recipiat nec gratiam, nec Sacramentum; quia non habet dolorem universalem de omnibus peccatis, qui videtur a Trident. requiri ad valorem Sacramenti; Atque adeo probabiliter non datur Sacramentum penitentiae validum, & informe: Quamvis Adversarii conentur difficultatem hanc evacuare, dicendo per id odium veteris vitæ significari a Trident. dolorem omnium peccatorum, quæ sunt in conscientia.

Confirmatur a Vasq. quaest. 92. art. 2.; quia ex Trident. sess. 14. cap. 4. dolor, qui potest esse pars hujus Sacramenti, debet sufficienter in hoc Sacramento ad Dei gratiam impetrandam disponere, sed nisi sit dolor peccatorum etiam obliorum, non potest disponere ad gratiam, ut patet; ergo nec potest esse pars hujus Sacramenti. Unde sequitur, quod in eo casu, in quo quis dolet de furto

solum, & non de homicidio oblioro, non habeat dolorem sufficientem ad validitatem Sacramenti; & consequenter dari non potest Sacramentum penitentiae validum, & informe ex defectu doloris. Ex quo Vasq. disparitatem assignat, quare Sacramentum Baptismi possit esse validum, & informe, non vero Sacramentum penitentiae, quia scilicet in solo Sacramento penitentiae materia proxima, quæ est dolor, debet esse dispositio ad gratiam; ubi e contra ablutio, quæ est materia proxima Baptismi, non debet esse dispositio ad gratiam Sacramentalem recipiendam.

Scio, Suarium huic difficultati respondere, quod, per se loquendo, dolor in Sacramento penitentiae sit dispositio ad gratiam, non vero per accidens; Ut accidit, quando quis immemor homicidii commissi, dolet de solo furto ex turpitudine propria furti. Et idcirco diximus, utramque sententiam esse probabilem, quamvis probabilior mihi videatur sententia Suarii. De qua fusius locutus sum in Theologia Scholastica part. 8. disp. 4. quaest. 2. art. 3.

XI. Putant etiam aliqui primo cum Dominico Soto, Cano, Victoria, & aliis, posse dari Sacramentum penitentiae validum, & informe ex defectu materialis integritatis confessionis; dummodo talis defectus directa intentione non intendatur; quamvis vincibilis ignorantia, & moraliter culpabilis intercedat ob defectum examinis.

Sed merito communiter rejiciuntur, præsertim a Cajet., & Navar.; quia quando culpabiliter omittitur integritas confessionis, vel hujus culpæ habetur remorsus, & memoria, quando suscipitur Sacramentum; & sic non habetur propositum non peccandi de cetero, atque adeo non habetur Sacramentum validum: Vel talis culpæ non ha-

habetur memoria, nec remorsus; & tunc si dolor peccatorum sit ex motivo universali, recipietur Sacramentum, & fructus Sacramenti, quia indirecte talis culpa oblita remittitur; si vero dolor non sit universalis, juxta sententiam Vasq., nec gratia, nec Sacramentum recipitur.

Putant alii secundo cum Cajet., & Cano, contingere Sacramentum hoc validum, & informe ex defectu doloris, quando quis non dolet, & nescit se non dolere, confitetur tamen talem indispositionem, ut salvetur integritas Confessionis.

Sed errant; quia defectus doloris est defectus partis constituentis Sacramentum; unde sicut sine aqua non est validus Baptismus, ita sine dolore pœnitentiæ Sacramentum non est validum.

Putant alii tertio cum Petro Soto lect. 8. de Confess., evenire posse Sacramentum validum, & informe ex defectu doloris, non quidem extensive, juxta sententiam Suarii, seu qui non se extendat ad omnia peccata commissa, sed intensive, quia scilicet ponitur dolor, sed non in tanta intensione, quanta requiritur ad fructum Sacramenti.

Sed contra est, quia nulla determinata intensio doloris a Trident. requiritur ad hoc, ut in hoc Sacramentum ad gratiam disponat.

Demum alii admittunt Sacramentum validum, & informe, dicendo, quod ad valorem, non ad fructum hujus Sacramenti satis sit attritio putata, vel attritio naturalis existimata supernaturalis, vel attritio supernaturalis sine firmo proposito non amplius peccandi, vel dolor de peccatis cum suo proposito, quando post dictum dolorem committitur novum peccatum, cujus deinde non habetur memoria, dum suscipitur Sacramentum; Quæ tamen omnia ex verbis

Trident., & hæcenus dictis facile refelluntur.

XII. Colliges ex dictis primo, quod in casu Suarii, in quo probabiliter Sacramentum pœnitentiæ est validum, & informe, qui confessus est peccatum furti, non tenetur deinde iterum confiteri peccatum furti, quando recordatur homicidii obliti, cum satisfecerit obligationi subjiciendi directe clavibus peccatum illud furti. Quod si Sacramentum pœnitentiæ non fuisset validum, juxta sententiam Vasq., certe teneretur iterum confiteri peccatum furti, quando recordatur homicidii.

Colliges secundo, per Sacramentum validum, & informe satisfieri præcepto annuæ Confessionis. Nam ab Alex. VII. solum damnatur illa propositio decima quarta, quod per confessionem voluntarie nullam satisfiat præcepto Ecclesiæ; qui autem suscepit Sacramentum pœnitentiæ validum, licet informe, non fecit Confessionem voluntarie nullam, nec sacrilegam; ergo satisfecit præcepto suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ: Sicut etiam per Sacramentum Eucharistiæ validum, & informe satisficit præcepto Ecclesiæ de Communione Paschali; esto non satisfiat per communionem sacrilegam, ut ostendimus in expositione thes. 55. proscrip. ab Innoc. XI. Quamvis enim finis hujus præcepti sit consecutio gratiæ, quæ per Sacramentum validum, & informe non obtinetur; nihilominus finis hic est extrinsecus præcepto, nec cadit sub præceptum, ut notat Perez disp. 23. sect. 5. Suar. disp. 35. sect. 4. Ledelma, uterque Soto, & alii apud eundem Suarium. Tunc autem communio esset valida, & informis, sed non sacrilega, quando quis communicaret cum aliquo mortali invincibiliter oblito, nullum habens dolorem supernaturalem neque con-

tri-

tritionis, neque saltem attritionis de illo.

Colliges tertio, Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe habere effectum suum ex opere operato, statim ac tollitur fictio, seu obex illius peccati obliti; non secus ac Sacramentum Baptismi cum fictione susceptum causat fructum suum, & gratiam baptismalem, recedente fictione; In communi autem sententia recedit fictio, & tollitur obex ad gratiam, tam relate ad Sacramentum Baptismi, quam relate ad Pœnitentiam per totam attritionem, quæ cum Sacramento præterito, quod reviviscit, vim habet Contritionis.

#### ARTICULUS IV.

De proposito ad Sacramentum Pœnitentiæ requisito.

- I. Quando dolor procedit ex motivo particulari, non sufficit propositum virtuale in eo dolore inclusum.
- II. Moraliter loquendo, dolor formalis de culpis præteritis non sejungitur a formali proposito non peccandi in posterum.
- III. In Confessione venialium quodnam propositum requiritur?
- IV. Triplex datur discrimen inter propositum requisitum in confessione mortalium, ac in venialium confessione.
- V. Quanam dicatur occasio proxima peccandi, de qua vitanda tenemur habere propositum?
- VI. Quid si vitari non possit absque gravi incommodo?
- VII. Quonam pacto occasio de se proxima, quæ physice vitari non potest, evadere possit remota?
- VIII. Recensentur proscriptæ theses circa proximas occasiones vitandas.
- IX. Quandonam occasio proxima cen-

seur voluntaria, quando involuntaria?

- X. Etiam occasio proxima peccandi dubia fugienda est.
- XI. Num confessioni præter dolorem, & propositum, præmitti debeant actus Fidei, & Spei?
- XII. De quibus mysteriis fides præquiratur ad Sacramentum suscipiendum?
- XIII. Non satis est Trinitatis, & Incarnationis mysteria credidisse, ita ut eorum deinde detur oblitio.

I. **Q**uæritur primo; Num præter dolorem de peccato commissio requiratur propositum explicitum, & formale non peccandi de cætero; An vero satis sit propositum virtuale inclusum in ipso dolore? Quandoquidem qui dolet de peccato commissio propter metum gehennæ, verbigratia, virtualiter non vult amplius peccare, & effici Reus gehennæ; aliter amaret, quod odio haberet.

Respondeo cum distinctione ex Con. disp. 4. num. 39: Quando dolor peccatorum procedit ex motivo particulari turpitudinis talis peccati, tunc requiritur propositum formale, & explicitum non peccandi de cætero. Ratio est, quia ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur propositum universale non committendi amplius ullum peccatum, nec sufficit solum propositum non committendi iterum peccata commissa, ut diximus art. super. cum communi contra Dicast., atqui propositum universale non peccandi de cætero, ut loquitur Trident., seu non committendi amplius ullum peccatum, non continetur virtualiter in dolore solum peccati commissi, orto ex motivo particulari turpitudinis talis peccati, ut patet: ergo in tali casu, præter dolorem, requiritur propositum explicitum, & formale.

Quan-